Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

Et quia fides mortis dampna non patitur, usque hodie multe virgines romane agnetis beatissime quasi in corpore manentem attendunt, et eius exemplo provocate, ut vitam integram perseverant, credentes sine dubio quod perseverantes perpetue victorie palmam acquirant. Hec ego Ambrosius famulus christi dum voluminibus abditus invenissem conscripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem ergo tante martiris sic gesta novi conscripsi. et ad edificationem vestram o virgines christi textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans karitatem vestram fratres, ut labor noster vestra imitacione fructum in conspectu domini valeat invenire. cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

A. febr. xi. K. aplis.

Passio sancti Vincentii martiris.

PROBABILE satis est ad gloriam Vincentii martiris, quod de scripto passionis ipsius tytulo invidus extitit inimicus. Unde reddimus fide plena relata gestorum, que litterarum apicibus annotari non nimio noluit, quia servicium erubescebat audiri. Natalis quippe providentia est male errantium auferre de medio testimonia probitatis. Igitur cum aput Cesaraugustam civitatem, ut multorum sinceritas et signata veritatis verba testantur, Daciano cuidam presidi gentili et sacrilego excitus fuisset et principibus serviendi in christianos exoptata officiuncula cecidissent, et oblatrantis profane crudelitatis famelico cani sua rabies aspirasset, episcopos et clericos et omnia sancta corpora temptamentis diabolicis magis domino probanda, spiritu nequicie sue rapi precipitanter incubuit. Provinciam pervolantes episcopus gloriosissimus Valerius et Vincentius martyr pervicerunt suum laudis titulum cucurrerunt, feliciores se in ipsa sanctos confessione credentes, si coronam satis preciosam interitum martiris perfusa devotione rapuisset. Sed enim ille artifex ut vexatione itineris magis frangeret et facilius subigeret iniuria, quos videbat superari non posse de pena, a civitate Valentiam, que erat una provincia, ut asserunt sanctos dei more perduci precepit. Esse summa pena carceris et famis inopia, stridoreque catenarum, ut manibus et collo et cruribus ferri pondera sustinere non possent. et ponis arcius iam tunc mortis supplicia paterentur, quibus illi gaudiora cumulatius perfusa laude portaverunt. Sed non iam depulse eos credens cogi iniuria, timens ne ipsorum supervenientes occasu severicie sue dampna pateretur, produci iussit e carcere. cum putaret eos a communi tamdiu publice conversationis luce reclusos, iam nec corpore nec spiritu superare, moram tamen ante tormenta nolebat, quibus proponebat et in mortuis temptare. Sed pavefactus Dacianus aspectu eorum, quod integro corpore et viribus essent: quod illis inquit indulgentiorem pastum et potum largiorem ministrastis. Et mirabatur eos robustiores esse quos deus paverat. irascens malignitatis perfidus spiritus quos viderat vincere sua supplicia fortiores esse qui eum vincerent, mox inflata superbie vox insibilat. Quid agis inquit tu Valeri.

Cur sub nomine religionis contra principes facis. estimans quod si ipsum caput exturbare et pervertere potuisset, idem episcopum, reliqua subiectiora corporis membra facilius succumberent. Sed deus verus voluit eum et abiectioris ministerii nomine superari, ut adverteret quod factum aut quod actum esset qui in capite sacerdotis erat, cum et levite eius qui habebant minora ministeriorum officia non vicisset. Quid submurmuras inquit episcopo suo Vincentius sanctus, cui iam spiritus erat in corona. et contra canem levitus insultans

Exclamavit in magna virtute christicola, ut contrita rabies que contra cunctum sanctum ministrum latrat, divine percussa protinus vocis auctoritate frangatur. Iste ille est venenatissimus serpens, qui in prothoplastis gloriam hominibus invidiam, quam ipse non meruerat invidit. Statim insanabilis homicida cunctos occideret quos deus immortales fecerat. mori et ipse condempnatus. Contra tamen quem ipse aliis intendebat, prior ipse aliis propinatus est. Iste est quem exigimus e corporibus humanis invocatione divina.

Iste vox nomine: nunc decertet pugna si prevalet. Confidentia videbit me plus posse cum torqueor quam ipse cum torquet, qui cum punit, quantum ipse puniendo patietur. Unde ego iam singulariter gaudeo et dum pacior vindicabor. Exarsit diabolus ad christianam fidem, et contemptum se cum sensit, ingemuit exarsit. Amovete inquit episcopum. ubi qui in rigidiorem te rebelliorem perstruxi, quoque in publicam contumeliam venit. applicate tormenta. Animositati eius videbatur inferenda supplicia maiora. et quicquid illi cessurum erat pro gloria vinci presumebat ex pena. sed potius inferens diabolus